



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Alivd Decretvm Valentinvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

ANNO
CHRISTI
374*

DECRETVM SIVE STATVTVM VNVM
DICTI CONCILII VALENTINI,

Iuxta Decretum Gratiani vel Iuonis, & iuxta 39. cap.
lib. 3. codicis sexdecim librorum, ex monasterio
sancti Bauonis Gandensis excerptum est.

*Nisi ut meliora prospiciat, rem ecclesie non liceat distrabere
episcopo.*

Irrita erit episcoporum donatio, vel venditio, vel
commutatio rei ecclesiasticæ, absque * collaudatione &
subscriptione sacerdotum.

Hoc decretum 12. quæst. 2. sine exceptione dicitur, aut scri-
bitur esse ex epistola Leonis ad episcopos, per vniuersam Sici-
liam. In decretis autem Iuonis libro secundo legitur, secundum
exemplar impressum, esse ex Concilio apud Valentias. Nec ta-
men reperitur in epistola Leonis, vbi supra, nec in Valentino
Concilio Gallie aut Hispanie, sed in decretis Concilii 4. Car-
thaginensis capite 32.

ALIVD DECRETVM VALENTINVM.

Non nisi a propriis episcopis presbyteri chrisma petant.

Presbyteri, qui diœcesanas ecclesias regunt, non a
quibuslibet episcopis, sed a suo; non per iuniorem cle-
ricum, sed per seipos, aut per illum qui eiusdem or-
dinis sit, ante Paschæ solennitatem chrisma petant.

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ *Neque enim absolui.*] Paulo vberius codex Lugdunensis: *Ne-
que enim absolui in his potest, si in ipsos se dixerint quod dictum in
alios puniretur.* Eademque verba interserunt etiam Rhemensis,
Anitiensis, & Fossatensis, vt causæ nihil appareat cur omitti de-
beant. Quæ vero sequuntur episcoporum subscriptiones, ex vni-
co Rhemensi depromptæ sunt, in aliis non erant.

² *Eortius.*] In codice Anitiensi, qui eadem omnia quæ Lugdu-
nensis continebat, literula olim adiecta, tum hoc loco, tum initio
Synodi, scriptum est Euortius, vt de Aurelianensi Euortio accepit
se dubium non sit.